

---

**DISPUTATIO MEDICA**

**INAUGURALIS,**

**D E**

**Prima Febrium Continuarum Causae  
Origine.**

---



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

Prima Februm Continuarum Causae  
Origine;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Autoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOSEPHUS BEALEY,

ANGLUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. et Praef. Ann.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

1797.

Известия о смерти Генриха Гонзаги

из Альбигио

1526 г.

Известия о смерти Генриха Гонзаги

из Альбигио

Генрих Гонзага

супруга

Анны Малыши

1526 г.

THOMAE PERCIVAL, M. D. S. R. S. &c.

HANC DISPUTATIONEM

GRATO ANIMO,

DICAT

AUCTOR.



---

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PRIMA FEBRUM CONTINUARUM  
CAUSAE ORIGINE.

---

FACTURUSNE operaे pretium sim,  
si rem dubiam, de qua saepe a prae-  
claris medicorum ingeniiis in contrarias par-  
tes summâ contentione disputatum est, agi-  
taverim, nec satis scio; nec, si sciam, di-  
cere ausim: quippe qui, cùm difficilem  
tum maximi momenti esse rem, videam,  
dum nōvi semper scriptores, aut de ea cer-  
tius aliquid allatueros se, aut scribendi arte

disputandique solertiâ obscuritatem superaturos, credunt.

Utcunque erit, juvabit tamen, rem nondum satis cognitam pro virili parte explorando, humani generis saluti et ipsum consuluisse; et, si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate et magnitudine eorum, meo qui nomini officient, me consoler.

Quum de re, quam persequi decrevimus, varias in partes disputatum sit a medicis ex ingenio clarissimis, nequedum distracta controversia sit; satis constat, aptam nequam esse, quae demonstratione declaretur. Haud secūs, atque aliae plurimae quae ad medicinam pertinent, obscura etiamnum est et dubia: neque, profectò, hoc mirum est, cùm praesertim haec scientia, licet sanitatem aegris promittat, nondum, sicuti physica,

sica, experimentis, et notatione naturae atque animadversione, exulta locupletataque fuerit.

Verūm, etiamsi ita sit, studio tamen, quo nostris temporibus flagrant cùm philosophi tum medici, obscura et incerta experimentis et naturae observatione cognoscendi, fore speramus, ut illucescat aliquando ille dies, ubi multa nunc abdita parūmque cognita, quae contrarias in partes disputantur, patefient et illustrabuntur.

Etenim *chymiae* et medicinae tanta quasi amicitia et familiaritas sunt, ut fieri vix possit, quin magnis incrementis, quibus illa nuperrimè aucta et novata est, haec haud multò pòst insigniter locupletetur; et multa, ad eam pertinentia, quae nunc, prae inscientia qua versamur, parūm intelliguntur, menti illucescant.

Quantum jam *chymia* ampliata *physiologia* sit, dicere non opus est; quippe cum omnibus medicinae haud ignaris satis innotuerit: atque profecto, ne dicam, quantum scientia aërum, quae majore haud pridem studio et subtilius exculta est, ad morbos curandos levandosque valeat; clarum lumen, quod *chymicis* nuperrimè rebus affulxit, quosdam medicos induxit, ut contendarent, disciplinâ *chymicâ* ipsam artem medicinalem augendam esse, imò eadem etiam ornandam et regendam \*.

Iis, quae modò diximus, objici potest, incognita quaedam et disputabilia esse, maximè ex iis ad medicinam pertinentibus, quae experimentum patefacere et illustrare nequit. Verùm, tametsi, aliqua ex parte, ita

\* Vide ROLLO. *Case of Diabetes.*

ita sit, tamen ferme nulla, speramus, nisi  
quae naturâ nostrum captum exsuperant,  
adèò recondita sunt et obscura, quin dili-  
gente accuratâque observatione illustrari  
possint.

Si hac ratione ea, quae experimento cog-  
noscere nequirent, medici patefacere gras-  
sati essent, verisimillimum est, scientiam  
medicinae jamdudum multò magis princi-  
piis auctam locupletatamque fuisse. Sed,  
vel nostris temporibus, quia hanc rationem  
medici non prosecuti sunt, nulla aequè  
scientia vagis opinionibus obscuratur ; in  
nulla, tot incerta temerè pro certis haben-  
tur.

Rei, enimvero, ipsius obscuritas, sicut  
ego existimo, magna imprimis est ; verū  
aliquanto minor tamen, quàm vulgò fer-  
tur : atque, si optimus quisque medicus na-  
turae

turae res observare, quām opiniones vagas, ac nihil profuturas, multūmque etiam periculosa, in medium proferre, mallet, brevi medicina neque regeretur magis, quām regeret opiniones; et eò claritudinis procederet, ubi, pro arte conjecturali, scientia fidis adminiculis stabilita haberetur.

Quae modò diximus, ea, quantūm attinent ad rem, de qua disserere statuimus, vera esse, forsitan a plerisque concedetur; verū adhuc magis tamen de quibusdam aliis, quas medicina complectitur.

Quoniam animum ad causam remotam cognoscendam, ex qua oritur febris continua, quae nostris regionibus grassatur, advertendi occasio iis tantū obvenit, qui eam curando multūm versati sunt, nihil a nobis aut in rebus certius, aut in scribendi arte solertius, expectandum est.

Quum igitur habeamus nihil novi, quod de hac re proferamus, neque ea, quae jam innotuerunt, ad minuendam contentionem, qua inter medicos disputatur, satis valeant; nostrum erit summâ ope niti, ut, quam validissimis possimus argumentis, eam, quae verisimillima videatur, opinionem confirmemus.

Sed, cùm haud ignari simus, quanto studio quantisque argumentis opinionem, quam accepimus, labefactare conati sint multi gravissimi auctores, qui etiamnum vivunt, optatum tulerimus punctum, si nostram horum opinione ad fidem aptiorem reddiderimus.

Utrum continua febris, in quam incidunt nostrates, rectè *FEBRIS SIMPLEX*, necne, appelletur, disputando tempus terere haud quam nobis consilium est. Medici haud pauci

## De Prima Febrium

pauci spectatissimi atque auctoritate valentes, qui existimant, febrem continuam ex variis causis oriri, *SIMPLICEM* hanc appellant, ut ab iis febribus distinguant, quae tabo pestilente\* nascuntur. Verum, hoc certamine misso, nobis in animo est quaerere, verisimile, necne, sit, vel febres continuas ex communi causâ, scilicet tabo pestilente, oriri.

Causae, quibus, ut nonnulli censem, continentur febres continuae, sunt quaedam, quae corporis vires multum labefactant; nominatim frigus, imprimis humidum; fatigatio; pervigilations nocturnae; animus utcunque demissus; diaeta, supra consuetudinem, parca et tenuis; exinanitiones vehementes;

\* Per *TABUM*, seu *TABUM PESTILENS*, intelligo *MATERIEM*, qualiscunque sit, quae febris continuae genitrix est; per *CONTAGIONEM*, *MODUM* quo haec materies vulgatur.

hementes; concubitus nimis frequens; et si qua similia.

Varias febrium continuarum formas, quibus inducti sunt medici quidam, ut hujusmodi febres non tabo pestilente oriri crederent, variis causis effici, quae, licet cum hoc tabo ad febrem gignendam concurrant, obstant tamen, quo minus hominum corpora, quae inquinaverit, iisdem semper malis afficiat, probare aggrediemur. Nobis verò consilium est, de ea febre continua sola scribere, quae inter nostros cives contactu grassari solet; omissis prorsus febriculis, quibus itidem haud raro implicantur nostrates, sed quae, ut satis constat, variis aliis, atque tabo pestilente, causis oriuntur.

Ex cognitis signis, quibus continua febris notatur, hanc non in parte consistere, sed in toto corpore, clare appareat. Namque

organā vitalia, quō minūs sua ritē munera peragant, haud parūm impediuntur; simulque ea, quibus perficiuntur cibi, atque purgatur et novatur corpus, solita munia, vel intermittunt, vel aegrē exsequuntur.

Signa quaedam sunt, quae, quippe cūm ea praeceant quibus febris manifestiūs cognoscitur, *PRAENUNCIA* febris haud ineptē appellari possunt. Talia sunt languor insolitus, lassitudo, mentis pariter et corporis pigritia; et alia quaedam, ex quibus cognoscunt medici, curandis morbis vel parūm versati, febrem instare. Haec signa, quippe cūm febrem semper praegrediantur, primi videntur effectus causae, qualis haec cunque sit, excitantis; et verisimilem, quam accepimus, opinionem reddunt, eādem nempe genitrice febrem omnem continuam enasci. Nonne cūm meliūs tum solertiūs disputant, qui, sicut nos, contendunt, ei-

dem causae attribuendos similes effectus ; quām qui, cōtrariā nostrae opinione acceptā, ad diversas, imò haud rarò pugnantes inter sé causas, effectus prorsū similes referunt ?

Haud equidem ignoramus, nobis ignaris, ut etiam nunc sumus, quomodo tam causae morbos gignant, quām remedia sanent, de multis ad medicinam pertinentibus sic disputare haudquaquam licere. Verūm, etiamsi ita sit, tamen, nostra opinione, non est, quamobrem non sic arguamus, quoties conclusiones ex diligente atque accurata rerum ipsarum observatione evertere non aggrediamur. Hanc enim, quoad liceat, disputandi viam prosequendo, medicina, ex rudi hucusque et indigesta fermè mole, pausatim ornata et simplex evaderet, neque, uti nunc, tam saepe falleret secùsque procederet.

At nobis objici potest, id, profectò, quod nos met ipsi libenter concedimus, nos nondum haud dubiè scire, ex causa, necne simplice, de qua nobis res est, omnes febres continuae, quae occurserint, oriuntur.

Verùm, cùm, de re disputata, opinione in utrasque partes disputantium duntaxat veri similitudinem prae se ferant; non possumus, quin reamur, dum accurata rerum observatio controversiam minuerit, aequum esse, ex similitudine signorum, a quibus incipiunt febres continuae, concludere, communem omnium esse genitricem, qua oriuntur. Quocirca, communi parente, ut cunque interdum obscurâ, has febres utique enasci, probabilissimum esse, pro virili ostendere nunc nostrum erit.

Satis, credimus, supèrque experientiâ constat, febrium continuarum, quibus nostre

trates implicantur, permultas tabo pestilente oriri; neque multum forsan abhorret vero, harum dimidiam amplius partem hac causâ certò proficisci. Atque profectò, cùm nobiscum reputemus, ex quot fontibus generetur tabum, quo febres continuae nascentur, et quot scaturiat patria nostra, est, putamus, quare nobis liceat, ad tabum has febres omnes referre.

Sed, de his fontibus fusè et nominatim dicere, haudquaquam nobis consilium est; eoque minùs, quòd ab idoneis fidisque auctoribus, LINDIO, scilicet, PRINGELIO, FERRIARE, aliisque, haud ita pridem perstudiosè et luculenter indagati sunt. Satis itaque ad rem nostram erit, praecipuos tantum raptim et quasi obiter perstrinxisse.

Nullo fonte saepius derivatur tabum, quod febres continuas parit, quam exhalationibus.

tionibus hominum confertorum in arcta  
tecta. Has utique esse fontem perennem  
tabi, concedetur ferè ab omnibus, qui  
animum ad morbos, in quos nostrates, prae-  
caeteris, incidunt, adverterunt.

Alia scatebra, unde emanat tabum id,  
quod communem febrium continuarum  
parentem esse contendimus, corpus incultu-  
et illuvie squalidum est. Unà cum tabo  
hinc derivato, ad febrem generandam  
conspirant plerumque animus demissus, et  
egestas, mendicitas atque victus penuria.

Aér, porrò, sive quiete, sive hominum  
spiritu, sive utcunque adeò corruptus, ut pa-  
rum animabilis sit, nunc ab omnibus fer-  
me medicis tabo ferax putatur.

Haud ignoro, vocabulum, *TABUM*, sen-  
su quo accepi, aptum esse, cui ab iis,  
qui

qui contrariam meae opinionem comprehendenterunt, aliquid objiciatur. Ne ignari sint, quid apud me valeat hoc vocabulum, optimum mihi factu videtur, iis dicere, me hoc tantum significare, exhalationes ex corporibus hominum in arcta loca confertorum, necnon immunditiam atque aëra corruptum, febrem continuam concitare operae materiei, quam generaverint, quaeque, ut pote cuius contagione haec pestis vulgetur, *TABUM PESTILENS*, seu simpliciter *TABUM*\*, appellavi.

His cognitis, minimè arduum erit alicui, qui scit, quanta apud nos egestate atque re-

rum

\* Sensu, ni fallor, eodem, LIVIUS *TABO*, lib. iv. cap. xxx. itemque *TABE*, lib. xxv. cap. xxvi. utitur. Eodem sensu recentiores auctores *CONTAGIONE* utuntur; at, putamus, perperam, cùm praesertim vetusti scriptores, per hoc verbum, itemque *CONTACTUM*, *MODUM* intelligant, quo pestilentiae vulgantur. Liv. lib. iii. cap. vi. et lib. iv. cap. xxx.

rum inopia, praecipue in urbibus populo frequentibus, pauperes famem tolerent, et miseriis quantis atque squalore pannorum cooperiantur; perennitatem tabi pestilentis animo concipere.

Febrem profectò continuam, qua BRITANNI plectuntur, fontibus modò memoratis haud raro derivari, satis superque constat. In juridicis enim conventibus, qui OXONIAE anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, LONDINII anno millesimo septingentesimo quinquagesimo, acti sunt, exhalatione ex corporibus reorum rerum capitalium, quorum ibi causae solenniter cognitae sunt, maxima vis febris, quasi pestis, orta est, quae contactu vulgata plurimos rapuit.

Quae hinc orta et evagata est vis morbi ostendit, causas, pronuper dictas, non so-

fum per se febrem continuam concitare posse, sed, id quod ad rem nostram magis pertinet, ad concitandam duntaxat pollere, tabum pestilens prius generando. Namque rei, qui in conventibus causam dixerunt, quorumque respiratione corporum haud dubie vulgata in astantes homines haec pestis est, ipsi neque ex quo tempore in carcerem conjecti erant, morbo aegri fuerant; neque assederant aegris curaverantque, quorum contactu vi tabi repleti in morbum incidencebant. Sed, quia publicis custodiis diu tenui erant, ubi, conserti in loca arcta, tenebris atque odore foeda, fuerant corporis illuvie et incultus squalidi, eorum exhalationes tabum, utcunque ipsis innocuum, aliis tamen pestilentissimum atque in primis lethiferum generaverant.

Nostra, porro, sententia confirmari potest, et contraria labefactari, considerando,

qua naturâ hoc tabum sit, et deletu quâm difficile, etiam in domiciliis eorum, penes quos sunt omnia, quae ad delendum efficacissima haðenus experientâ cognita sunt. Certiores nos facit GREGORIUS, febres, de quarum origine disputatur, haud raro, ut ipse compluries certò compertus est, tabo pestilente renasci seu tanquam revivisci; quod, post tentata diligentissimè omnia, quibus prorsùs extingueretur, domiciliis insidiosè delituerat, novam, datâ occasione, incolis vicinisque luem sparsurum. Verum confitendum est, imò etiam dolendum, tantam ubique esse cùm agrestis tum urbanae plebis munditiae negligentiam et incuriam, adeòque perfusos religione animos, ut raro dent operam, ut tabum extinguant, sed pestiferos morbos petere potius, quâm peti, videantur. Neque profectò, dum proletarii vitam, sicuti nunc, parcè ac duriter agunt, atque sunt capti superstitione eorum animi,

animi, fore, ut febres continuae stirpitùs perent, sperare possumus.

Haud ignari sumus, nobis objici posse, homines haud raro in febres incidere, quarum nullae aliae causae, praeter suprà dictas, exploratè cognoscuntur. Quòd si medicis causas morborum cognoscendi tanta cura esset, quanto studio alienas de his, ac saepe inanes opiniones, proferunt, putamus fore, ut vel eas febres continuas, quas ad alias causas referendas nonnulli contendunt, plerumque tabo pestifero oriri certò comprehendentur.

Praeterea, quod nobis objiciunt, qui contrariam nostrae sententiam comprehendunt, id, opinamur, parùm apud eos valebit, qui secum in animo agitaverint, quām difficile sit tabum pestilens exploratè percipere. Veri enim simillimum est, hanc naturā subtiliorē

rem multo esse, quām quae nostris sensibus percipi possit. Quocirca, nihil, putamus, satis firni est, quamobrem contendat aliquis, febres continuas aliis nonnunquam causis, atque tabo pestilente, oriri; eoque minūs, quòd hoc, interventu rerum, quas impleverit, ac in quibus haud rarò in longum tempus deliteat, interdum in loca longè ab iis distantia, quibus initio generatum est, potest transferri.

Quinetiam, quò nostram sententiam adhuc magis confirmemus, licet interrogare eos, qui nobis regugnant, quibus notis possint febres, quas ipsi *SIMPLICES* cognominant, ab iis, quas *PESTILENTES* esse concedunt, accuratè distinguere. Morbis, qui tabo oriuntur, et contagione vulgantur, commune quid esse oportet, quo illo natos esse, hoc vulgari, cognoscamus. Speciale autem esse tabum, quod febrem pariat a

GULLENO *TYPHUM* appellatam, inter omnes ferme medicos convenit.

Quibus concessis, opinio eorum, qui *SIMPLICEM* febrem existere contendunt, per consequentiam vacillat et corruit. Namque, id quod nosmetipsi observavimus, febres, quae simplices cognominatae sunt, omnibus ferme notis, quibus cognoscitur *typhus*, interdum insigniuntur. Quintam, continua febris, quando maximè contactu vulgatur, et minimè dubium est quin pestilens sit, nonne in his aegris levis tantum febricula est, in illis *typhus* vel periculosissimus?

Febres pestilentes sic vi differre et inter eos ejusdem familiae, omnibus ferè medicis satis supèrque constat. Haud raro ad idem tabum febres continuas, quod ad speciem diversas, referendi oblata occasio

sio est; quarum nonnullae committunt, ut humores vitium capiant; aliae eadem signa omnia praebent, quibus cognoscitur febris, quae, quippe cum in nervis consistere putent, a medicis *LENTA NERVOSEA* appellatur.

Nobis, si ex cognito usu medici, quo acrior nullus atque peritior sententiae contrariae defensor, judicare liceat, confitendum est, nos eos non esse, qui leves varietates internoscere possimus, quibus inductus est, ut ex febribus continuis nonnullas simplices, alias pestilentes, nominaret.

Varietates enimvero, quas sic dignoscere conatus est hic medicus, eruditus in primis, eodem anni tempore, apud idem hominum genus, et, quoad caetera, praeter vis gradum, inter se prorsus similes, latè urgebant. Vel, si praeterea quo, hoc

uno differebant, quòd ipsi aegri causis diversis attribuerint. Sed, cùm nobiscum consideremus, quàm incuriosè vulgus hominum obvia, ea autem maximè ad medicinam quae pertinent, animadvertisat, nobis videtur parùm dignum, cui fidem habeamus, cùm causas morborum edisserit, quibus ipsum laborat.

Si concedatur, febres continuas, quas tabo pestilente oriri certò sciunt medici, posse formis varias esse, caeteris plerisque morbis pestilentibus quàm diversas oportet febres continuas esse, quotquot, ut contendunt nonnulli, aliis causis, atque tali tabo, gignuntur? cùm praesertim aliud tabum nullum, quòd scimus, sit, quin effectus sibi proprios edat.

Ratio, denique, qua febres continuae curantur, sive tabo utique solo, ut nobis vindetur,

detur, oriuntur, sive aliis item causis, ut quidam contendunt, nostram sanè opinionem haud parùm confirmat. Nam curatio, qua febres hujus generis omnes discutiuntur, licet ad cujusque aegri proprietates sese, ut oportet, usque eo, quo opus sit, accommodet, re tamen, et medici consilio, eadem est.

Ea persecutus, quae sententiae medicorum, quotquot contendunt, febres continuas aliis causis oriri, ac pestilentia, iisve quibus tabum pestilens generatur, objici possunt; nunc quibus argumentis suam sententiam confirment medici, qui febres hujus generis omnes tabo pestilente gigni, contactu vulgari, censem, quam potero brevissimè verissimèque exponere aggrediar.

Hunc verò in finem, quum ex suprà  
dictis

dictis satis constet, quid potissimum apud eos argumentum opinioni, quam comprehendunt, fidem faciat, tantum restat nobis, ut explicemus, quibus causis febres continuae specie adeò variae sint, ut hinc, causis itidem varias esse, nonnulli contendant.

Hanc varietatem causis effici, quibus, aliâ alius, homines febrem continuam nanciscuntur, nonnulli dicunt; dum alii, quibus magis assentimur, contendunt, adju tricibus causis proficisci, quae, etiamsi cum tabo pestilente ad febrem concitandam conspirent, obstant tamen, quò minùs illinc fe brientes omnes iisdem per omnia malis affi ciantur.

Contra ea, quae medicis objiciuntur, qui, sicut nos, febres continuae pestilente tabo ingenerari, et contagione vulgari, censem, re-

spondere possumus, complures alios morbos, quos tamen alii causae, atque contactui pestilenti attribuere nemini in mentem venit, veluti *variolam*, *rubeolam* \* atque *synanchen malignam*, haud minus, quam illas febres, specie varios observari.

Quanquam, quibus ex causis febres continuae aspectu tam variae sint, cognoscere haud raro imprimis arduum est; tamen interdum, quae sint, comperire possumus.

Plerumque causae, ex quibus varietates februm continuorum gignuntur, eae sunt, quibus apta corpora nostra redduntur, quae in hujusmodi morbos incident. Ad hoc causarum genus in primis pertinet *frigus*: quapropter, haudquaquam mirum est, mala quaedam, quae vel frigore ipso, vel corpore

\* Dr. WATSON. *Account of the Putrid Measles, Med. Inquir. & Obs.* vol. iv.

pore hinc apto reddito quod inflammatione capiatur, oriuntur, *tussim*, putà, *pleuritidem*, *rheumatismum*, atque *tonsillas*, unà simulque cum signis febrium continuarum, maximè *typhi*, propriis, ab initio ferè ad finem usque, plùs minùs urgere. Neque, profectò, vero absimile est, frigus, quamvis haec mala non afferat, tamen, corpus ad inflammationem proclive faciendo, committere posse, ut febres contactu vulgatae specie varientur.

Verùm aliae praeterea causae sunt, ex quibus, ut verisimillimum est, varietates febris ministeriis invicem et contagione grassantis proficiscuntur. Hujus, ut putatur, generis sunt intemperantia; animus graviter diuque perturbatus; immunditia; pervigiliones nocturnae; corpus inediâ vel infirmâ diætâ tenuatum; aër humidus; naturales aegrorum corporum proprietates,

sive haec in debilitatem proclivia reddant,  
sive ad inflammationem; corporum ante  
primam febris accessionem valetudines;  
ipsa, denique, initio febris curatio.

His, aliisque si qua similia, cognitis,  
medicis attentis ac perspicacibus cognoscere  
et explicare, unde notis ac specie varia sit  
eadem grassans pestilentia, raro arduum  
erit.

F I N I S.